

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

M.Sinapio, Philippus Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

piorum familias: ut protexit Israelitas in Aegypto, cum iussisset limina conspergi sanguine. Ita et nostras familias Deo curæ esse credamus, & petamus ut ipse nos gubernet & seruet. Mea officia filio uestro non deerunt, præsertim cum eius integritas mihi nota sit. Bene ualete. Die Paschatos, quod est ab exitu ex Aegypto Pascha 3067. 1558.

M. Sinapio, Philippus Melancthon S. D.

Deum æternū patrem Domini nostri Iesu Christi, crucifixi pro nobis, & resuscitati, conditorem humani generis, & uerum authorē coniugij ac dulcissimæ societatis maris & foeminae, unde Ecclesiā sibi perpetuam propagare uoluit, oro, ut tuis nuptijs faueat, & tibi et sponsæ tuæ det tranquillū & felix coniugiū: sicut promisit Ecclesiæ, se hæc uite genera diuinitus instituta, ad Ecclesiæ conseruationem seruaturum esse. Ego si possem hinc expiari, istuc uenirē. Sed nunc, ut scit Clemēs, me multe causæ publicæ & priuatim detinēt. Expecto cōuentus Spirensis decreta, quæ tamē spero tranquilla fore. Nam adhuc quidem spes est, imperatorem edicti Augustani auctoritatem mitigaturū esse: hoc est, doctrinā confessionis nostræ, quæ Augustæ exhibitæ est, non esse persecuturum. Clementi consiliū dedimus D. Pastor & ego, ut mox ad te proficiscatur.

scatur. Nam subito ordinari publicis ceremoniis non potuit, postea uerò remittes eum: sed Ecclesiam decet largiri ei uiaticum. Bene uale, Die 20 Iulij, Anno 1544.

Amico cuidam Pastori s.

Credas mihi hoc, reuerēde domine Pastor, uerē affirmāti, me summa uoluptate fuisse ad uos accessurum, ut & nostrae non fucatae coniunctionis testimonium publicē ederem: & quod collegae tuo officium, id etiam tibi aequaliter deberi à me, & promptissime ac merito tuo praestari, ostenderem: & simul auulsus ab occupationibus, respirandi aliquantulum pauculos dies, & recreandi me uestris dulcissimis sermonibus, mihi sumerē. Sed simul ingruunt hisce paucis diebus tot negotiorū fluctus, uel estus potius, praesertim post aduentum ducum Pomeranicorum, ut mihi nulla ratione sit integrum hoc tempore abscedere: imò ne quidem tantum mihi nunc uacui temporis conceditur, ut illa ipsa impedimenta occupationum recēseam, atq; me de absentia satis purgare queam. Fretus autem candore tuo, quem noui, sicut scio tibi aduentum meum gratum futurum fuisse, ita non dubito te etiam non uenienti daturum esse ueniam, & nihil inde mali suspicaturū. Quod igitur solum nunc absens possum, & tuae pietati debeo, praestabo sedulo, ut ardentibus